



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

De S. Kiara Virgine, In Momonia In Hibernia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

am, quæ ejusdem ecclesiæ est vicina, ludos agere cepit. Et subito ex Valleia agmen equarum adveniens, atque ad insulam, quæ vulgariter Mons nuncupatur, tendens, per eandem plateam veloci cursu pertransibat. Cumque prædictus puer ad dexteram, sive ad sinistram declinare non valeret, insidante, ut credo, humani generis inimico, ab eodem agmine in frustra discerptus expiravit. Etenim cum a sancto pontifice Missarum solemnità fuissent expleta, mulier filii sui immemor ad propria revertabatur. Itaque cum per plateam transitum fecisset, reperit filium suum in frustra discerptum, et cum magno animi dolore a terra eum levavit, statimque miseram se clamans, ac magis vocibus aerem replens, nullo modo se poterat a lachrymis continere. Sed ubi ad memoriam rediit, quæ diutim a sancto gerebantur præsulæ Magnobodo, concito gradu ad basilicam usque

pervenit; nondum enim sanctus antistes a basilica discesserat. Ergo prædicta mulier suffocati filii sui corpus in conspectu Sancti exposuit, dicens: Vir sancte restitue hunc mihi filium, qui pater populi agnosceris. Hæc atque multa his similia ea dicente, devictus mulieris precibus Vir Dei ad arma consueta recurrens, populo spectante, prosternitur in terra. Quid multis moror? Tandiu sacerdos jacuit in pulvere, donec pariter surgens pontifex de oratione, et puer de morte. Hinc circumstans populus non minimo stupore concutitur, inusitatum cernens miraculum, fragorque in partes attollitur, laudes in excelso Creatori referuntur; complecturque veridica veritatis vox promittentis ac dicentis: Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet. Mater vero cum filio ad propria, unde advenerat, lætabunda regressa.

DE S. KIARA VIRGINE,

IN MOMONIA IN HIBERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Kiarae cultus certus; incerta ejus gesta; constare tamen videtur conditum ab ea fuisse monasterium Killchrea.

FORTE ANNO
DCLXXX.

S. Kiara, laudata a martyrologis maxime Hibernis,

SÆngussius Keledeus in Festilogio Metrico Hibernico, quod in cultu adstruendo plurima auctoritate pollet, S. Kiarae, filia Diubreæ, festum annuntiat die v Januarii. In Martyrologio vero non metrico eadem Sancta duobus diebus memoratur, v nempe Januarii et xvi Octobris. Eandem utraque die nominant Martyrologium Tam-lactense, Kalendarium Casselense et Carolus Maguis, qui et Ængussius auctus vocatur. Beatus vero Marianus Gormanus hanc Sanctam die v Januarii tantum proclamatur. Hæc ex Colgano (a); quæ a nobis cum apographis Hibernicis, in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi servatis, aliisque scriptis, a canonicis regularibus Tongerloensibus nostro musæo concessis, collata, fidelia esse reperimus. Præterea ad dictos dies hujus Sanctæ nomen nobis occurrit in Kalendario Tam-lactensi, et in Martyrologio Dungalensi: in quo posteriore Keara de Muigh-ascad (campo petito) nuncupatur. Hibernice autem ejus nomen scribitur Ciar, Cera, Cere, Ceara; C vero apud Hibernos K audire, vulgo observatur. Quod autem et Caila et Piala interdum scripta est, vitium, an nominis synonymia sit statuunt alii. Insuper S. Kiarae brevem Vitam dat Bucelinus in Menologio Benedictino ad diem v Januarii. Britannia Sancta (b) et alterum Martyrologium Anglicum (c) ad xvi Octobris nihil aliud asserunt, quam nomen Cyram, et locum antiqui cultus Killchream. Castellanus ad xvi Octobris gallice eam Kère, latine Kiarum appellat, eamque ut Virginem et abbatissam in Momonia (Munster) in Hibernia celebrat.

et distinguenda a tribus nominibus,

2 Distinguenda est hæc Sancta a tribus aliis, quæ v Februarii, viii Februarii et ix Septembris celebrantur. Prima dicitur a Colgano (d) coli in Raith; eamque annuntiat S. Ængussius: Cæra Raithensis Mentichi, vel Raith-Mentichensis. Secundam annuntiat idem martyrologus, præter morem: San-

ctæ Virginis nomini Keræ adjiciens. Tertiam, a Colgano adstructam non reperio in scriptis, quæ in præsentiarum præ manibus mihi sunt. Castellanus quidem inter æmeros producti quamdam S. Keram, Virginem, abbatissam in Momonia, mortuam mense Januario. Verum non ambigo quin eadem sit, quæ v Januarii et xvi Octobris colitur. Ad dictos autem Februarii et Septembris dies nullam Kiarum, Ceram, Cyram, etc., notarunt decessores nostri, nequidem inter Prætermittos; similiterque Colganus ad dies v et viii Februarii siluit de his Sanctis: neque nobis lubet incassum hunc tentare labyrinthum.

3 De loco, in quo S. Kiara cultum sortita est, loquuntur plures: Colganus (e) affirmat hunc locum olim Kill-Chere hodie Kill-Chreidham, seu ut vulgus loquitur, Killchream appellatum esse; ejusque situm in diocesi et comitatu Corcagiensi statuit; qua in re ab eo non dissentit Lanigan (f), qui hunc vicum paucis leucis Africum versus a Corcagio dissitum esse docet. Uterque nomen loci deducit a Cella Kiarae, quod Hibernis Kill-Chere dicitur: illic utique parthenonem existitisse consentiunt Colganus et Lanigan; eisque accedit Gough, editor Camdeni Britannia (g). Archdall in Monastico Hibernico et Smith in Historia Corcagii auctores secutus. Cum autem B. Marianus Gormanus et Carolus Maguis ex una parte statuant S. Kiarae corpus in ecclesia Maghascad (Martyrologium Dungalense Muigh-ascad habet), et ex altera parte Kalendarium Casselense, aliique, teste Colgano (h), tradant ad xvi Octobris, sacra hæc pignora in ecclesia Killchreensi asservari, dubitat Colganus aut potius suspicatur, nomina Maghascad et Killchream aut Killchream eidem congruere loco. At cavendum est ne item confundantur rudera cellæ seu monasterii S. Kiarae (nisi tamen errorem prodatur Colganus, cum (i) tradit saxea, ceu viva, loqui monumenta nomen S. Kiarae) cum parietinis

cultum sortita est Killchrea.

F

(a) Act. SS. Hiberniæ, p. 15. — (b) Part. ii, p. 205. — (c) A memorial of ancient British piety, p. 145. — (d) Act. SS. Hiberniæ, p. 16. — (e) Ibid., p. 16, not. 6. — (f) Ec-

clesiast. Histor. of Ireland, t. III, cap. xviii. — (g) T. III, p. 506. — (h) Act. SS. Hiberniæ, p. 15, not. 13. — (i) Ibid. p. 14, num. 1.

conventus

A conventus Fratrum Minorum, cujus meminere Colganus (a), Gough (b), Waræus (c), Waddingus (d), Alemand (e), et quod vel anno 1465, vel 1468, vel 1470, sive etiam 1478 Killchreæ traditur fundatum fuisse a Cormaco Mac Carthy, Desmonix principe, qui ibidem tumultus est in medio choro cum multis viris primariis comitatus Corcagiensis; quæ res in causa fuit, cur Reformationis tempore, expulsis religiosiis viris, ipse conventus destructus non fuerit. Veruntamen nunc tantum rudera superesse colligitur ex Gough, latius a describente, et ex annotatis, quæ duo eruditi ex Hibernia viri, curante nostro P. Francisco Murphy, nobis collegerunt potissimum ex recentissimo de Corcagio ejusque vicinia opere Cl. V. Joannis Windele (f). Dolemus sane quod, cum ne a longinquo quidem ad S. Kiaræ id Franciscanorum cœnobium pertineat, non licet nobis pluribus ejus fata omni memoria dignissima prosequi, et per mirandam ejus rudera cum lectore pervagari.

4 Jam cum ad S. Kiaræ Vitas gradus faciendus sit, continuo aperiendum nobis est, nullam reperiri, nisi Vita dicenda sit: tum ea, quam Colganus ex citatis a se Martyrologiis vel Festilogiis, et ex Actis SS. Brendani et Munnu compilavit (g); tum altera multo brevior, quam Lanigan (h), Colganum castigans, edidit. Nos vero relegendis decessorum nostrorum vestigia, qui nonnumquam, cum nihil melius præ manibus haberent, Acta Sanctorum a Colgano conscripta ediderunt, suis adjectis animadversionibus. Fontes, unde hausit Colganus, indicati jam sunt; in hos et in ipsam Vitam placet hoc loci præmittere aliquot annotationes, reliquis brevioribus ad calcem reservatis. Primo, Henschenius ad diem XVI Maii (i) rejecit tamquam apocryphas duas Vitas S. Brendani quas habebat; malens omnia, quæ de eo Sancto narrat, ex aliorum Sanctorum Vitis colligere. Æstimo duas Vitas, quæ penes Henschenium erant, eas esse, quæ in codice Salmanticensi (k), e museo Bollandiano Antverpiensi Bruzellas in bibliothecam Burgundicam regiam translato, reperiantur; et vere sunt omnino referte miris, omnemque modum superantibus narrationibus, præsertim prior, in qua famosa navigationis historia legitur. Verum nihil in his perhibetur de S. Kiara; unde consequens est Colganum alia S. Brendani Vita usum esse: quæ Vitarum diversitas fere arguit recentioris ævi esse, quæ de S. Kiara ex S. Brendani Vita narratur. Quod autem spectat ad alterum fontem, Vitam scilicet S. Fintani seu Munnu, de quo ad XXI Octobris agendum nobis erit, Lanigan de ea diffidit vel ob ea solum, quæ ex illa hinc inde a Colgano allata sunt (l). Num. 7 redibit sermo de Vita S. Fintani.

5 Quod secundo loco notare velit lector, necesse est, si aliunde Vita S. Kiaræ a Colgano scripta subsistere queat, ut vixerit hæc Sancta, fatente auctore, ad minimum 120 vel 130 annos (m). Etenim secundum chronotaxim Henschenii (n), probatam Lanigan (o), obiit S. Brendanus anno fere 577. Sanctam vero Kiaræ ex Annalibus Hibernicis mortuam tradit Colganus (p) anno 679, aut, ut corrigat Lanigan (q) anno 680. Ne vero lector terreatur hac longævitate, eum remittit Colganus ad notas, absque dubio eruditissimas, sed nihilominus ineptam credulitatem sapientes, adjectas Vitæ S. Kyerani Saygirensis, quem biographus, probante Colgano (r), trecentos annos vixisse tradit. Utique, si talia credantur, mediocris fuerit S. Kiaræ ætas.

(a) Act. SS. Hiberniæ, p. 14, not. 6. — (b) Britannia Camdeni, t. 3, p. 506. — (c) Antiquit. Hibern., cap. xxvi, p. 199. — (d) Annal. Minor., t. XIII, p. 378. — (e) Hist. Monast. d'Irlande, p. 234. — (f) Notices of Cork and its vicinity, Cork, 1839. — (g) Act. SS. Hiberniæ ad v. Januarii, p. 14 et seq. — (h) Ecclesiast. Hist. of Ireland, t. III, cap. xviii, § xii. — (i) Act. SS. ad xvi. Maji, p. 602. — (k) Fol. 69 et 189. — (l) Eccle-

6 Ne talibus fabulis pedem impingeret Lanigan, aliam viam ingressus est. Explodit scilicet Colganum, quod S. Kiaræ cœviam S. Brendano fecit, quodque statuit eam prius Killchreense monasterium, dein cœnobium Tech-Telle incoluisse, postea in monasterium Killchreense reversuram, ibique supremum obituram diem; quin etiam annotat (s) originem errorum Colgani, æstimantis hanc nostram Kiaræ cum S. Brendano egisse; quam in rem animadvertit duas Muscragias confundi a Colgano: unam Muscraige Thive, hodie Lower Ormond in Tipperaria, ubi S. Brendanus reapse versatus esse perhibetur; alteram Muscraige Mitine, hodie Muskerry in comitatu Corcagiensi, ubi Killchreæ sita est. Quæ confusio eo facilius locum habuit, quod utraque Muscragia in Momnia reperitur. Quapropter postquam admisit S. Kiaræ in Muscraige Mitine natam esse, sic fere pergit idem recentior annalista: Supponitur hæc Kiara eadem fuisse ac S. Chier, quæ cum aliis quinque virginibus ad S. Fintanum Munnu, in Heli (hodie Ely O'Carrol) commemorantem, perrexit, sibi adeptura locum, parthenoni instituendo aptum. Dicitur S. Fintanus cessisse S. Kiaræ locum, quem ipse occupabat, et qui dein Tech-Telle audiit. Nulla mihi sufficiens occurrit ratio, ob quam negem S. Kiaræ aliquandiu illic vixisse; sed dubium est valde num hunc locum a S. Fintano obtinuerit, et num ipse umquam illic commoratus fuerit; (imo alibi (t) longe probabilius esse ostendit S. Fintanum nulli alii monasterio, quam Teach-Munnu, hodie Taghman in Wexfordia, præfuisse). Quamdiu, hæc alia sunt ejus verba, S. Kiara in Heli remanserit, nihil nos monet. Porro illinc regressa in suam patriam, fundavit monasterium, a suo nomine dictum Killchree, nunc Kilcrea. Hæc Lanigan.

7 Neque mihi suppetit firmum argumentum ad tale assertum disturbandum; sed quod gratis asseritur, gratis itidem negari facile concedet unusquisque. Nam, licet in memorato Ms. codice Salmanticensi, in quo mirissima quæque leguntur, inveniantur duæ S. Fintani Vitæ, in quarum prioribus eisdem fere verbis ac in fragmento, quod Colganus citat, sed paulo longior sermo de S. Kiara fit, et in posteriore paulo brevius eadem res narratur, omissa prædictione de S. Tello; atque inde liqueat tres saltem diversas S. Fintani Vitas existere, in quibus memorata exhibentur, prorsus tamen vana est illa testium series. Quæ enim fides commentoribus, se invicem describentibus, ampliatis, breviantibus, danda est? Quis nos docuit hic agi de nostra Kiara, non de alia? Quid omnes illi itus atque reditus, monasteriorum translationes, etc.? Quare seposito illo Tech-Tellensi cœnobio, id unum credere possumus monasterium Killchreense a S. Kiara conditum fuisse; quod persuasum esse debet tum ob nomen, ab ea acceptum, tum quod Killchreæ ei cultum delatum esse ab omnibus asseritur; reliqua nobis non propinabit Colganus. De tempore vero, quo hæc monasterii fundatio obtigit, nihil certi proditur; docet Lanigan (u) eam ab Harris referri ad sæculum VI, et ab Archdall ante annum 576: cui chronotaxi, ob rationes num. 5 explicatas, semisæculum libenter adjecero. Harris et Archdall absque dubio duces secuti sunt Colganus; cujus opellam lectori jam exhibeo, ut ipse de his omnibus judicium ferre queat.

siast. Hist. of Ireland, t. II, cap. xv, not. 78. — (m) Colgan. loc. cit. et Lanigan Eccles. Hist. of Ireland, t. III, cap. xviii, not. 159. — (n) Act. SS. ad xvi. Maji, p. 600, num. 2. — (o) Loc. cit. — (p) Ibid. — (q) Eccl. Hist., t. III, cap. xviii, not. 155. — (r) Act. SS. Hiberniæ, p. 146, not. 42. — (s) T. III, cap. xviii, not. 159. — (t) T. II, cap. xv, not. 78. — (u) T. III, cap. xviii, not. 159.

D Colganum castigavit Lanigan, ipse forte facitior.

E

Quod monasterium S. Kiara fundavit, quaeritur.

F

Ejus vita, a Colgano scripta, compilata est ex malefidis scriptis.

B

et statuit S. Kiaræ longævior.

VITA S. KIARÆ, SEU CERÆ

AUCTORE COLGANO.

S. Kiara, fi-
tia Dubrei,
a
b

Claruit in ea australis Hiberniæ regione, quæ Muscraigia a nuncupatur, quædam genere clara, sed virtutibus clarior Virgo, nomine Cera b seu Cyra : cujus quidem Acta licet temporis vel nunc supprimat, vel olim deleverit injuria, nominis tamen sancti et celebris, quod nobiles testantur scriptores, et saxea ceu viva loquuntur monumenta, non potuit delere splendorem. Patrem habuit Dubreum c, e Conarii d regis Hiberniæ stirpe, multorum et Sanctorum et regum in utraque Scotia fœcunda genitrice oriundum.

vixisse dici-
tur tempore
S. Brendani,

2 Postquam autem fama sanctitatis, et miraculorum hujus Sanctissimæ Virginis longe lateque diffusa esset, et odor boni nominis plures ad eam pertraheret discipulas, virtutum ejus sedulas imitatrices, construxit in prædicta sua patria Muscraigia regione cœnobium virginum ex ipsius fundatricis nomine Killchere appellatum, cui in summa sanctitatis opinione et mirabilium operatione sacro virginum cœtui præfuit eo tempore, quo magnus Brendanus, post mirabilem suam septennii spatium per Oceanum navigationem, signis et virtutibus in Hibernia clarebat e.

e
quo indi-
cante, ignem
extinxit.

3 Inter alia ejus opera mirabilia, unum memoratur patriæ proficuum, et ipsi Virgini gloriosum; quo pestilentis quoddam genus ignis, et patriæ terræ, quam inextinguibili vi exurendi absumebat, et hominibus, quo pestifero fœtore extinguebat, exitiosum, mirifico orationis jaculo funditus extinxit. Factum his verbis narrat author Vitæ S. Brendani : In regione f, inquit, Muscraighe Thire in provincia Momoniæ, ignis exortus est e terra, fœtorem habens pessimum. Cœperuntque homines ignem extinguere aquis, sed nullo modo potuerunt. Vidensque S. Brendanus, veniendo illuc, terram ardere ascendentibus alte flammis, ait hominibus : O miseri homines, ignem infernalem videtis e terra ! Rogantibus eum hominibus, ait eis : Trium dierum jejunium agite, et rogabo Deum pro vobis. Et post jejunium ait illis : Ite ad Sanctam Dei virginem Ciaram : sibi enim dedit Deus hanc virtutem, ut extinguat illum ignem per orationem suam. Et orans Sanctissima Virgo Cera ad Deum contra illum ignem, illico ignis extinctus est radicitus, et numquam ibi iterum apparuit.

f

C

4 Crescentibus sic in dies signis et virtutibus hujus præclare Virginis, cum cresceret et sanctarum virginum, quæ sub ejus magisterio vivere amiebant, ipsa sanctissima mater cœtum sponsarum Christi multiplicare desiderans, cum aliquot virginibus perrexit ad fines Heliæ, locum a Sancto Munna, viro mirificæ charitatis et sæculi contemptus gloria notissimo, quæsitum; ubi sponsas Christi commodius, in Deo dicatæ virginitatis instituto instruere et educare posset; accepitque ibi ab eo locum Tech-Telle nominatum, quem ipse ante ibi exstruxerat, ut in ejus Vita cap. x his verbis enarratur :

it ad S. Mun-
nam;

g

5 Cum B. Munna quinque annis habitasset in regione Heli, venit ad eum quædam virgo, nomine Chier g, cum aliis virginibus quinque, ivitque minister hospitum salutare eam, et recipere in hospitio. Cui ancilla Dei ait : Vade ad famulum Christi seniore nostrum et dic ei : Det mihi locum ubi potuero Deo servire cum meis filiabus.

Hoc autem audiens vir Dei dixit suis : Fratres, non est hic resurrectio nostra, ideo relinquamus hunc locum nostrum et laborem virginibus Dei, et nihil vobiscum ducetis exceptis necessariis in via, et libris officialibus, et chrisimalibus, et quotidianis vestimentis, et de animalibus tantum duos boves in plastro. Cum jam ancilla Dei postulasset ab eo benedictionem, respondit ei : Benedictio sit super locum istum, et erit benedictus coram Deo, et hominibus; sed tamen locus iste non nominabitur in nomine tuo. Illa dixit : In cujus igitur nomine nominabitur? B. Munna ait: Vir ille, qui hodie tres jubilationes in agro Midhluachræ fecit, possidebit hunc locum : ipse est Telli, filius Segeni, qui postea ad hunc locum venit, et in nomine ejus nominabitur.

D

6 Postquam ergo Christi ancilla in ecclesia de Telgh-Telle cum suis alumnis aliquandiu constitisset, et juxta mox dicta intellexisset locum illum non sibi vel suis, sed Sancto Tello ex divini providentiæ decreto esse reservatum, demum in patriam reversa est, ac post multos vitæ annos, in illibati instituti rigore transactos, annis et meritis plena, anno salutis 679 h mortalem hanc vitam cum cœlesti commutans, ad sponsi superni amplexus advolavit, ac in ecclesia de Maghascad corpus ejus honorifice reconditum est; pique populi devotione bis in anno ejus festum servari consuevit : die quinta Januarii, quæ dies transitus et ejus in cœlo natalis, et XVI Octobris, qui translationis creditur esse i.

mortitur an-
no 680.

h

E

i

ANNOTATA.

a Vide num. 6 Commentarii prævii.

b In Commentario prævio num. 1 exhibui nomina S. Kiara, prout in Ms. Hibernicis mihi occurrerunt. In priore Vita codicis Salmantiensis dicitur Kyear, in posteriori Emer, vitio sane amanuensis. Nam vulgo Chier vocari tradit Lanigan. Quoniam Martyrologium Universale Castellani vulgo in usu est, ne lectori, apud nos hujus Sanctæ Vitam quærenti, inutilis labor crearetur, scripsi secundum eum Kiaram.

c Hæc a S. Ængussio, Martyrologio Tam lactenti, et Annalibus Cluanensibus accepit Colganus. Eadem in nostris egraphis reperio non secus ac in lacinia Annalium Dunallensium.

d Ex Calendario Casselensi, Carolo Maguiz et Menologio genealogico hæc hausta sunt. Verum a decessoribus nostris non admitti solent vetustæ Hibernicæ genealogicæ.

e Confer num. 4 Commentarii prævii. S. Brendani navigatio nostris atavis Belgis placuisse videtur : non ita pridem lingua veteri theotisca iter S. Brendani ex tenebris eruit Cl. V. de philologia Belgica optime meritis Blommaert. Cæterum ubique fere per Europam olim id iter innotuerat, adeo ut pauca sint copiosiores Mss. codicum collectiones, in quibus hæc non appareat historia.

f Vide num. 4 et sequentes Commentarii prævii.

g Num. 4 et sequentibus ejusdem Commentarii similiter hæc impugnata vide.

h Dixi num. 5 ex Annalibus Hibernicis S. Kiaram anno 679, imo 680 obiisse; ex iisdem tradit Colganus eam devenisse ad propectam ætatem, et diem v Januarii ultimam ejus vitæ in terris fuisse.

i In notis infirmat hoc assertum Colganus scribens, diem XVI Octobris esse festum translationis, commemorationis similisve rei. Lanigan (a) huic diei ejus commemorationem adscribit. Quæ modo præcedunt, initio Commentarii prævii explicata sunt.

(a) Eccl. Hist. of Ireland, t. III, cap. XVIII, § XII.